

cit, ut illi non multo post, redditis rebus, suas Venetis 1193
immunitates servaturos se polliciti sint, fluminisque navi-
gationem nunquam violaturos. Hoc quoque Principe num-
mus percussus est, quem octonis taxatum ab initio, ut
nunc *Grossum* nuncupavere. Classis ex Syria reducta est:

quippe cui reparatione supplementoque opus erat. Tertio 1194
anno jam Italia abfuerat. Pisani & ipsi ex provincia pro-
fecti: sed ii eo triennio tanta cum Venetis æmulatione cer-
taverant, ut ea res (quod sæpe evenire solet) in mutuum

odium apertasque inimicitias traxerit utrosque: quod ipsum
Pisanis postea male vertit. Quippe qui in Hadriaticum si-

num flectentes, Polam tributariam Venetorum urbem su-
bito incurfu oppressere: ubi, si per ocium licuisset, hyber-
nare in animo habebant. Sed eam rei indignitatem haud

quidem Veneti tulerunt: nova subito classe triremium de-
cem naviumque sex onerariarum comparata, novoque mi-
lite in supplementum veteri addito, Polam continuo trans-
mittunt: urbe repente capta, quicquid Hetruscarum na-

vium illic fuit, victor Venetus concremavit. Major pars
classis aberat, ut præsidio esset sex onerariis, quæ merci-
bus onustæ per id tempus, ex Pontica negotiatione in pa-

triam redibant. Dirutis itaque Polæ mœnibus, non tam
in oppidanorum invidiam, quam ne amplius Pisanis rece-
ptus eo esset, continuo Methonem Venetæ triremes vene-

re, ut cum onerariis Pisanorum, & iis quæ præsidio illis
ex Pola profectæ erant, confligerent. Nec diu ibi statio-

nem habuerant, quum illis prætereuntibus Veneti occur-

runt: in conspectu urbis propemodum pugnatum, ubi fuso
fugatoque Hetruscarum navium præsidio, duæ ex onerariis

sunt captæ. Nec ita multo post pax cum Pisano secuta est.

Quidam ex Venetis scriptoribus nullam prorsus pacis hujus
mentionem fecere: sed, quod magis est diversum, eodem

ajunt anno, quo apud Methonem fuerat pugnatum, Pisa-
nos Hadriaticum sinum, Brundusinis auxiliariis, Vene-

tis clausisse: atque ad eorum conatus opprimendos Joan-
nem Basilium & Thomam Phaledrum cum ingenti classe
missos: ad quorum adventum territos hostes, trepide toto

finu

*Pisani Po-
lam subito
incurfu op-
pressere.*

1195

*Veneti, Pola
recepta, Pi-
sanos nava-
li prælio su-
perant.*